



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio II. Christus fuit verè sacerdos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 22.

Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs qua sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Aded autem est necessarium sacrificium, vt allerat Paulus illo indigere sacerdotem, vt illud offerat primùm pro suis, deinde pro populi peccatis.

§. 4. Aliqui censent, non fuisse opus vt victima proprijs sacerdotis manibus mactaretur. Oppositum censet Lyra in Exodum 29. ad finem: ob quod censet Mosem in consecrando Aarone mactasse victimas suis manibus, quia tunc sacerdotio fungebatur. Consentit Abulens. in Genes. c. 47. q. 1. & quidem necessum erat, vt nex victimæ inferretur potestate sacerdotis saltem morali; vt nunc consecratur panis: quia ipsa nece protestamur Deum auctorem vitæ, & quia debet esse actus externus religionis, qui esse non potest, quin ab ipso agente oriatur. de quo infra.

SECTIO II.

Christus fuit verè sacerdos.

SVBSECTIO I.

Doctrina Catholica.

§. 5. Christum autem verum fuisse sacerdotem, testis est Paul. ad Hebr. 5. & 7. explanans illud psal. 109. *Iurauit Dominus, & non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Vbi ait Apostolus, Christum creatum fuisse Pontificem à Deo. & c. 7. comparat sacerdotium Christi cum Melchisedech, illud præferens Leuitico. hæc autem verba sunt clara: *Hic autem* (scilicet Iesus) *ed quiddam maneat in aeternum, sempiternum sacerdotium habet: vnde & saluare in perpetuum potest, semper viuens ad interpellandum pro nobis, & c. hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Describit autem ibi omnia munera sacerdotis, quibus perfectissimè functus est Christus, quibus ostenditur eius sacerdotium non fuisse allegoricum, sed proprium. Qua de re recognosce PP. Suarez disp. 46. sect. 1. Valentiam disp. 1. q. 22. p. 4. Vasquez disp. 83. Ragusam 2. p. disp. 19. & maximè Bellarminum tom. 1. lib. 5. de Christo mediatorè.

§. 6. Vnde arguo: Sacerdos verè & propriè est, qui auctoritate publica constituitur mediator inter Deum & hominem, ad offerenda sacrificia publice etiam instituta, & interpellandum pro peccatis: sed Christus constitutus est auctoritate publica Dei ad interpellandum pro nobis, & offerendum pro peccatis populi sacrificium ad id etiam institutum auctoritate publica Dei: ergo Christus fuit verè & propriè sacerdos, & non allegoricè. De minori propositione constabit modò.

§. 7. Ob quod Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. rectè probauit, Christum ostendisse se esse verum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: quia in cœna peregit sacrificium sui corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini: ipsum que fuisse sacerdotem maximum, qui alios sacerdotes instituit & constituit, qui eodem munere fungerentur offerendo idem sacrificium.

§. 8. Duobus ex capitibus ostendit Concilium verum Christi sacerdotium. Primùm, ex oblatione

cruenta sui in ara crucis: quo perfectissimè esset sacerdos: quia tunc maximè Patrem pro nobis interpellauit tam accepto sacrificio. Secundò, ex consecratione panis & vini; quod satis esset vt esset verè sacerdos: imò ea ratione fuit secundum ordinem Melchisedech. Pone, Christum interfectum, quin ipse se offerret Patri; sola consecratio panis & vini ostenderet illum fuisse sacerdotem, vt nos sacerdotes sumus: quia potestatem habemus consecrandi panem & vinum, & transubstantiandi in corpus & sanguinem Christi: si ergo cruentum sacrificium oblatum fuisset ab alio, quàm à Christo; at ipse esset summus Pontifex sola auctoritate transubstantiandi in memoriam cruenti sacrificij, item & suprema potestate iniiciendi alios sacerdotes.

SVBSECTIO II.

Difficultas vtrum Christus seipsum immolauerit?

§. 9. Emergit difficultas non leuis, vtrum Christus seipsum obtulerit Patri, seipsum immolans, & mactans? Nec est difficultas de Christo vt consecrante panem & vinum: ipse enim immutauit panem & vinum, & effecit circa eas creaturas omnes actiones necessarias ad immolationem eius sacrificij; siue potentia physica obedienciali, siue morali tantùm: quæ ad præsentiam verborum Christi infallibilem habet transubstantiationem à Deo, siue manducando corpus sub speciebus panis, & bibendo sanguinem sub vini speciebus, siue consecrando, & sumendo (ea enim de re non disputo nunc) non est ergo difficultas de sacrificio Missæ; sed de sacrificio cruento, cuius memoria est Eucharisticum.

§. 10. Est ergo difficultas: Christus se ipsum non immolauit, quia nec se occidit: ergo Christus non fuit sacerdos in eo sacrificio. Probo consequentiam: quia de ratione sacerdotis in sacrificando est, vt ipse victimam occidat aut per se physicè, aut saltem moraliter eius necem imperando, aut persuadendo. Antecedens probo: quia Christus non fuit homicida sui physicè, vt constat; nec moraliter: suam enim necem non præcepit, nec suasisit: ergo se non immolauit.

SVBSECTIO III.

Difficultas de Martyribus.

§. 11. Solet frequenter responderi, Christum seipsum obtulisse Deo in cruce: quod dixit Paulus adductus §. 5. est autem de ratione sacerdotis offerre victimas, non mactare. Propterea Paulus adductus §. 3. dixit Pontificem ex hominibus assumi, vt offerat dona & sacrificia; non dixit, vt mactet sacrificia: seipsum autem obtulit; quia cum posset fugere mortem, se obiecit Christicidis. Quæ est doctrina B. Thomæ q. 22. art. 1. ad 1. & 2. & q. 47. art. 1. Vbi ait Christum fuisse causam indirectæ suæ necis, quia eam non impediuit, cum posset.

§. 12. In hanc rationem aliqui obijciunt, Martyres etiam dici posse sacerdotes, quia obtulerunt sua corpora in honorem Dei ex affectu illum vera religione colendi. Qui actus non propterea caruit perfectione religionis, quòd esset ad vitandum peccatum

peccatum proprium: quia si quis mihi vim afferat, vt Deo irreligione inferam iniuriam, & ego nolim eam inferre; certè est actus religionis, sicut & abstinentiæ non manducare, quando mihi interdicitur cibus: quia ad religionis virtutem spectat colere Deum positinè, & abstinere ab externa irreuerentia. est ergo ille actus verè virtutis religionis in Martyribus: quia mortem obire, quia cultum exercebant in Deum. item vt Christus se obtulit Deo ab alijs vulneratum: ita & Martyres: quia etiam indirectè fuere suæ necis causa: potuerunt enim fugere: sapius enim sese obtulere tyrannis: cum que possent impetrare à Deo immunitatem à doloribus & morte, eam tamen noluerunt: vt constat in B. Andrea & Ignatio. Quo confutatur quod aliqui respondent, Christum potuisse impetrare à Deo eam immunitatem; Sancti verò non potuerunt: licet enim aliqui non potuissent, alij potuerunt, & noluerunt: ergo eadem est ratio sacrificij in ipsis, & in Christo. Nec obest Martyrum sacrificium non esse validum ad remissionem peccati: etenim validius est, quam sacrificium hircorum & taurorum, quod erat verè sacrificium.

§. 13. Dicunt aliqui mortem Martyrum potuisse esse in virtute religionis in genere; non tamen in specie sacrificij: in qua tamen fuit Christi mors: actus enim, qui propriè dicuntur sacrificia, sunt, qui non habent ex alio laudem, nisi quia sunt propter reuerentiam diuinam. Mors Martyrum habet laudem ex fortitudine & patientia; at non ex reuerentia in Deum: quia non offerebatur eorum mors propter solam reuerentiam diuinam: quia non erant domini vita, quam non poterant exponere ob solam reuerentiam in Deum; sed propter vitandam irreuerentiam, animalia poterant offerri: quia sacerdotes erant illorum domini, & ob solam reuerentiam poterant iugulari: ergo non habebant bonitatem ex sola reuerentia diuina. At mors Christi ex sola reuerentia diuina habuit bonitatem: Christus enim eam obiit ex affectu resarciendi Dei honorem læsum ab hominibus; non verò vt fugeret peccatum: ob quod facta est ei potestas à Deo acceptandi mortem ob hunc finem, tamen cæteros excluderet. Quam doctrinam colligunt ex B. Thoma 2. 2. q. 85. art. 3. Hæc cogitavit acutè P. Ragusa disp. 19. vers. *Dicendum ergo.*

§. 14. Quæ sic impugno: Primum, sacrificium potest esse quin ex sola reuerentia in Deum: ergo ea ratio sacrificij non definitur exactè. Probo antecedens in Abrahamo, qui verum sacrificium animo obtulit, re etiam oblaturus, nisi teneretur ab angelo: sed illud non fuit ex sola reuerentia in Deum: ergo. Probo Minorem: illud fuit etiam ad vitandum peccatum inobedientiæ: nisi enim filium vellet immolare, peccaret contra præceptum Dei. Nec verò ea fuit sola licentia, qua liberum esset Abrahamo filium occidere, & seruare (sic enim locum haberet doctrina, quam impugno): sed fuit verum præceptum: ergo Abrahamo fuit licita immolatio filij ob aliam virtutem, quam ob religionem. Comparo nunc Martyres Abrahamo: huic præcepta fuit immolatio filij, quam nisi exqueretur, peccaret contra obedientiam: illis præcepta est confessio fidei, quam nisi exquerentur, peccarent in fidem. vtri-que ergo tenebantur ad opus externum, vt vitarent peccatum contra virtutem à religione distinctam. Abrahamus potuit sacrificare filium, quia potuit

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

eum occidere in reuerentiam Dei: Martyres in *S. Thom.* eandem potuerunt neci consentire: ergo vtri-que habuerunt laudem non solum ex religione, sed etiam ex alio peccati fuga: ergo non est contra sacrificium habere laudem aliunde quam ex reuerentia in Deum.

§. 15. Secundò, quod attinet ad necem directè inferendam, pares fuerunt Christus & Martyres: nullus enim sine dispensatione potuit seipsum occidere. Quòd si B. Apollonia se coniecit in calcem ardentem, id effecit impulsu Dei. Item in non fugiendo pares etiam fuere: Christus non se obtulit Iudæis eos laceffens ad Christicidium; sed, vt ait Anselmus, obediuit Deo prædicando vsque ad mortem; id est, non destitit prædicare, quamuis sciebat sibi propterea esse moriendum: ita Martyres confessi sunt fidem vsque ad mortem. quòd si Christus sese exposuit asserens se esse Iesum, quem illi quærebant: idem effecit Polycarpus, & alij. In fine tyrannorum fuit etiam similitudo: Christus etiam occisus fuit, quia filium Dei se fecit: Martyres item, quia Christum prædicabāt Filium Dei. In accipienda morte non fuere dissimiles: vtri-que enim ex obiecto supernaturali eam acceperunt: cur Martyres eam non acciperent ob reuerentiam in Deum, vt Christus? ergo vt in Christo habuit rationem sacrificij, etiam in Martyribus.

§. 16. Tertio, multa Martyres effecere non ad vitandum peccatum, sed ob alios fines, in quibus potuit esse sola reuerentia Dei: multis enim illata fuit mors, non vt Christum abnegarent; sed quia eum prædicarent: at potuerunt eum prædicare ob solam eius reuerentiam, & ostendendam excellentiam diuinam, & ob eum finem potuerunt mortem accipere: ergo locus est in Martyribus ferendæ mortem ob solam reuerentiam Dei. Item aliqui se ipsos directè occidèrunt: vt B. Apollonia se iecit in fornacem; ianitor item cultos quadraginta Martyrum se vltro misit in lacum. quæ quidem effecere, ne vitarent aliquod peccatum: quia ad id minimè cogebantur: ergo magis directè possunt illi dici sacrificium. S. Thomas non excludit à sacrificio, illud offerri ad vitandum peccatum: si enim Iudæi Christum occidissent, quia nolebat admittere peccatum aliquod; an propterea eius mors non fuisset sacrificium? Distinguit S. Thomas sacrificium proprium à metaphoricis per conceptus proprios, & quidditatiuos: ait illa esse propria sacrificia, quæ ab excellentia diuina sola habent laudem: quia ille est conceptus quidditatiuus sacrificij; at non negat posse illi fini alium adiungi: tunc autem iam habent aliquam honestatem distinctam à sacrificio.

§. 17. Et quidem à Martyribus ad Christum inefficax est argumentum. Tota hæc difficultas est ad quærendam rationem sacrificij Christi: qui non se occidit directè; indirectè autem etiam Martyres fuerunt causa suæ necis. Plus do: Martyres aliquando se occidèrunt directè, vt B. Apollonia, ianitor cultos quadraginta, & alij: nec tamen propterea fuere sacrificium: ergo ex alio capite deficit hæc ratio Martyres. Aliqui dicunt necem Martyrum non esse institutam ad sacrificium. Bene: id probat Martyres non fuisse publica sacrificia, nec propterea fuisse sacerdotes. At cur non fuere sacrificia priuata, quæ à non sacerdotibus secundum se possunt offerri?

§. 18. Ratio ergo, ob quam Martyres non se

Bbb obtu-

S. Thom.
2. 2.

obtrulerunt in sacrificium, nec potuerunt se ipsos sacrificare, nec suam necem velle, ad significandam excellentiam Dei, ut sacrificio significatur, est, quia sacrificia publica, quae spectant ad sacerdotes, sunt instituta auctoritate publica ad profitendam excellentiam Dei: item macabantur in ordine ad oblationem sacram, cibumque sacerdotis & aliorum, erantque à profanis separata. Hæc omnia Martyres defecere; non verò Christum: cuius corpus fuit cibus ipsius sacerdotis in nocte cœnæ, ubi sacrificium cruentum representabatur; & nunc est cibus totius populi; cuius nex fuit publica professio excellentiæ Dei. Priuatum autem sacrificium non potuerunt esse: quia omne sacrificium in lege veteri erat prohibitum, nisi quod lex designauit: at non designarat necem hominum, nec hæc naturaliter erat promissa: in lege autem noua nullum sacrificium est licitum præter Eucharisticum: ergo nex hominum non erat materia sacrificij: ergo Martyres non potuerunt velle se esse sacrificium & hostiam, nec voluerunt se sacrificare, nec efficere circa se actiones, quæ hinc & nunc haberent definitionem sacrificij: voluerunt ergo mori ob fidei professionem; non verò ob significationem excellentiæ diuinæ sua morte. Nunc possumus tauros occidere ad alendos pauperes, non verò ad profitendam excellentiam Dei ea nece: id enim interdictum est: ergo nec possumus propria nece eam significare; quamuis possumus velle mori, ut omnes intelligant Deum esse supremum dominum, non ex significatione necis, sed ex Martyrum reuerentia, qui maluerunt mori, quam Dei lædere honorem. sunt enim hæc valde diuersa: sacrificium est significatio ad placitum excellentiæ Dei: mors Martyrum non est ea significatio excellentiæ, sed effectus naturaliter secutus ex actu efficaci religionis aut obedientiæ, quo noluerunt præterire legem Dei, aut eius diuinitatem abnegare, aut incontestatam relinquere.

SVBSECTIO IV.

Prima ratio respondendi.

§. 19. **I**gitur argumentum propositum §. 9. vim habet: quia ut aliquid sit sacrificium, non est satis indirectè oriri à persona sacrificante, sed directè physicè, aut moraliter: sed Christus ea ratione non se obtulit: ergo nec se sacrificauit. Probo Maiorem: quia sacrificium est actus religionis ortus ab exercente religionem: sed actio à nobis permessa non est actio propria nostra, sed aliena: ergo actio indirectè orta à nobis non est sacrificium. Minor est certa: quia causa indirecta est causa per accidens: à causa autem per accidens non oritur effectus, nec illi tribuitur. Primum, quia *musicus adificat*, est causa per accidens adificij: quod non oritur à musica. Secundò, quia qui videt incendium, nec tenetur illud restinguere, potest tamen; ille non est causa incendij, nec illi adscribitur. Maior autem probatur: quia virtus religionis inclinât personam, in qua est, ad exercendas actiones, quibus Deum profiteatur excellentem, & dominum vitæ: nec habet pro obiecto actiones alienas, ut pœnitentia, spes, castitas, & aliæ virtutes. ut sapiùs dixi. Ob quod non est religionis actus, velle ut Deus adoretur ab alijs, sed à se ipso: ut non est ca-

stitas, velle ut alij sint continentis, sed ut ipse sit. §. 20. Ob hæc dici posset ab aliquo, in Christo reperiri omnia necessaria ad verum sacrificium, non quidem ratione humanitatis solius, sed etiam diuinitatis: quia Christus ut Deus immutat se ipsum physicè; qui concursu generali produxit vulnera Christi: item ipse solus suspendit conseruationem humanitatis Christi: quæ suspensio est corruptio humanitatis. Ut autem aliquis sacrificet, satis est si eadem numero persona macet victimam, & eam offerat.

§. 21. In hac sententia, Primum inuenio Christum ut Deum fuisse sacerdotem: quia actus sacrificij oriuntur à natura diuina. Quæ sententia est vitanda, quia est hæreticorum dumtaxat: ergo. Probo Maiorem: quia essentia sacrificij consistit per te in macatione victimæ, & oblatione: imò significatio ad placitum excellentiæ diuinæ est præcipue in macatione: sed hoc munus partitur ea sententia inter naturas humanam & diuinam: ergo Christus secundum utramque naturam fuisse sacerdos. Secundò, omnis actio pertinens ad essentiam sacrificij debet oriri à natura sacrificante: sed macatio non oritur à natura sacrificante; sed à natura, cui offertur sacrificium: ergo ea actio non pertinet ad rationem sacrificij. Maior est certa: quia sacrificium est actus religionis, exercentis actus proprios subiecti; in quo est, non verò alienos. Minor probatur: quia illa suspensio actionis non oritur ab humanitate, quæ sacrificat, quæque sacrificio colit Deum, superiorem ipsa.

SVBSECTIO V.

Quid respondendum?

§. 22. **P**rimùm dici potest, humanitatem Christi habere vim ad immutandam seipsam per potentiam obedientialem actiuam: qua anima Christi physicè conseruat vnionem cum corpore. Quin non est improbable omnes animas influere in vnionem actione conseruatiua: qui influxus, siue naturalis, siue obedientialis, liberè pender à voluntate creata Christi. quæ inflicto vulneribus potuit liberè conseruare vnionem inter corpus & animam, & efficere ut ex visione Dei esset impasibilitas (petitè priùs dispensatione præcepti) at non voluit: sed directè voluit destruere eam vnionem: qua separatione corporis & animi ex institutione Patris & Christi significauit excellentiam Dei, eiusque supremum dominum in vitam & mortem omnium viuentium, & potestatem supremam in humanitatem etiam vnitam Verbo. Similem potestatem dedit sacerdotibus ad immutandum panem & vinum consecratione Eucharistica. Quæ doctrina est apertè S. Thomæ 3. p. q. 47. art. 1. corp. ad 2. & 3. Vbi ait, voluisse Christum succumbere nocimento corporali, cum posset non succumbere, est positiuè velle mortem, non permissiuè: item vnionem conseruatam, dum voluit Christus, eamque subitò destructam eo volente. Consentunt Caietanus, P. Suarez disp. 46. sect. 1. ad finem, & alij.

§. 23. Obiectis: Ergo Christus seipsum occidit. Hæc consequentia est neganda: quia occidere aliquem est causam violentam inferre, ex qua sequatur mors: sic similiter occidere Christum: quia vulnera

nera ei illata fuerunt satis, ut mors inde sequeretur, & secuta est. Ita dixit S. Thomas Christum à Iudæis occisum, non à se: quia ipse nullam violentam causam mortis dedit, quam tamen milites dedere. Hæc est significatio propria huius vocis *homicidium*, siue *inferre mortem*. At Christus directè concurrat ad immutationem sui volendo carentiam vnionis inter corpus & animam, quæ carentia est secuta: itaque non influxit posituè in mortem, sed præcisè priuatiuè, suspendens actionem conseruatiuam. Quod satis est ad immutationem: quia fuit formaliter corruptio vnionis, non tamen est satis ut dicatur se occidisse.

§. 24. Hæc sententia non est necessaria: non enim exigitur ad sacerdotium vis physica in victimam, sed satis est moralis & impetratiua. Ad exercendam eleëmofynam non est opus actione physica externa: satis est imperare seruo largitionem stipis de pecunijs ipsius domini imperantis. ut autem sumus sacerdotes, non est opus potentia physica ad immutandum panem: satis est potentia moralis. tunc probatio externa est actio sacrificica: quia ei annexa est physica immutatio panis. est ergo necessaria potestas moralis, cui infallibiliter sit annexa immutatio victimæ, & non ex accidente: ut nunc cernitur in sacerdotibus: quod non est reperiendum in Martyribus: ita Christus ut homo potuit impetrare incolumitatem etiam in tormentis: quam noluit, orauitque Patrem, ne eius vitam conseruaret.

§. 25. Rogas utrum Christus sit sacerdos secundum naturam humanam, vel diuinam: Respondeo naturam diuinam esse incapacem actus sacerdotalis: quia sacerdos debet esse distinctus realiter ab eo, cui offert sacrificium: quia ab eo petit aliquid: natura autem diuina non petit aliquid à se ipsa. Deinde sacerdos est inferior eo, cui offert: quia illum proficitur supremum dominum: natura autem diuina non potest esse inferior. Obserua in sacrificio reperi, & actum sacrificicum, & dignitatem sacrificantis. Primus oritur à natura humana: secunda à persona diuina. Vnde Christus, in quantum Deus homo, ut ait P. Suarez, est sacerdos, quemadmodum in quantum Deus homo, meretur. diuerso tamen modo: nam in quantum homo, est sacerdos eliciendo actus; at in quantum Deus, illos dignificando: potest autem dici sacerdos in quantum homo, quia magis communiter vsurpatur sacerdos pro principio eliciendi actus connotando valorem. De re iam constat: reliqua quæstio est de nomine. Vide PP. Valquez supra, Suarez, Valentiam atque Ragufam.

SECTIO III.

Utrum Christus sit sacerdos in aeternum?

§. 26. Christi sacerdotium in tempore incepisse certum est, quam vnionem hypostaticam non factam ab aeterno. Quæstio est, utrum hæc dignitas sacerdotalis sit in aeternum duratura? nam psal. 109. inquit, *Tu es sacerdos in aeternum*: & Paulus ad Hebr. 7. v. 24. *Hic autem eò quòd manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest*. Prima sententia affirmat Christum vocari sacerdotem in aeternum, non quia per totam aeternitatem sit duratura sacerdotium: sed

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

quia est duraturum in finem iudicij. P. Valquez s. Thom. disp. 85. cap. 3. ait hanc sententiam esse recentiorum doctissimorum, cui subscribere videtur P. Ragufa disp. 22. vers. *Alter*. ergo vnicum fundamentum est, quia sacerdos tamdiu durat, quamdiu sacrificium stabilitur: quando verò auctoritate Dei cessat omne sacrificium, nec est futurum in illo statu, cessat etiam sacerdotium: nam sacerdos constituitur ad offerendum sacrificium, quòd si Deus post diem iudicij perpetuò interdicit sacrificia, non potest esse sacerdos post illum diem: quemadmodum numquam potuisset esse, si Deus numquam sacrificia voluisset: sed post diem iudicij nullum erit sacrificium: quia post mortem Christi solum superest Eucharistia, quam Christus offert, ut sacerdos principalis: quæ oblatio est cessatura post diem iudicij: ergo tunc Christus non erit sacerdos.

§. 27. Confirmari potest Primò, ex cap. 7. ad Hebr. v. 25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*: at post diem iudicij non est interpellaturus pro nobis: quia tunc habetur beatitudo perfecta: ergo signum est Christum non futurum sacerdotio post illum diem. Confirmatur Secundò, ex cap. 8. v. 3. asserente: *Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid, quòd offerat*. Hoc sacerdotium vocari aeternum, non viget: significat enim diurnam stabilitatem sacerdotij: in hoc verò significat sacerdotium Christi non finiendum ante finem sæculi; quemadmodum sacerdotium Aaronicum dicitur aeternum, quia non fuit finitum ante finem legis. Ecclesiast. 45. v. 8. *Statuit ei testamentum aeternum*. & eodem c. v. 30. de sacerdotio Phinees: *Ut sit illi, & semini eius sacerdotij dignitas in aeternum*. Et quidem Paulus hoc erat satis: contendit enim sacerdotium Christi esse excellentius Aarónico: quia hoc amoto, illud non cessabit vsque in finem sæculi: vnde ex eo quòd testamentum Christi dicatur nouum, infert Paulus, vetus extinguendum. Hanc sententiam paucis sequitur P. Valentia q. 22. p. 4. §. *Iam effectus*: quam insinuat P. Suarez disp. 46. lect. 4. §. *Vna sola*. in quam libenter irem: explicat enim apprimè, quo pacto Christus sit sacerdos paratam habens hostiam, quam offerat.

§. 28. At verò Primò aduersatur sacrorum interpretum expositioni. Gregor. Magn. in 1. Moral. c. 24. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Hebr. & alij adductis à P. Ribera in cap. 7. ad Hebr. n. 76. quos ipse sequitur, & Nicolao de Lya. Secundò, non satis quadrat expositioni Pauli 7. ad Hebr. v. 24. *Hic autem eò quòd manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*. Vnde & *saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Vbi Paulus ponit aeternitatem Christi, & fundamentum aeternitatis sacerdotij, ex quo infert aeternitatem ad potentiam ad nos saluandos: non est autem verisimile in eadem periodo illas tres voces *in aeternum, sempiternum, & in perpetuum*, tam ambigè sumi, ut media sumatur pro *duratione vsque in diem iudicij*, prima autem & tertia pro aeternitate simpliciter.

§. 29. Confirmatur quia B. Paulus ex aeternitate sacerdotij infert potentiam ad saluandum in aeternum: sed illa potentia non exstinguetur post diem iudicij, ut notum videtur: quia Christus semper habet sufficientia merita ad nostram salutem: ergo sacerdotium, vnde infertur talis potentia, est aeternum

Bbb 2 num